



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Confessio Doctrinae Saxoniarvm Ecclesiarvm, Scripta  
Anno Domini M. D. LI. Vt Synodo Tridentinae Exhiberetvr**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1554**

**VD16 C 4808**

De Confirmatione Et Vnctione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35345**

minimus ipsi, Episcopos aliquot præstantes nobilitate & ingenij, in adulterijs interfectos esse.

Sed oramus filium Dei, ut ob hanc ipsam caussam plurimos custodiat, & ad castitatem flectat, ut à pluribus recte inuocari possit. Quæ uero pro defensione cœlibatus ab aduersarijs citatur, perinde ad causam accommodata sunt, ut quod Tacianus citabat, ex Euangelio secundum Aegyptios dictum Christi ad Salomen: Veni soluere opera mulieris. Id interpretatur Tacianus, Veni soluere, id est, abolere coniugium, cum Christi uerba loquerentur de Heuæ lapsu, & miserijs fecutis eum i. Ioan. 3 lapsum, sicut & Ioannes scribit: Venit filius Dei, ut destruat opera diaboli.

#### DE CONFIRMATIONE ET VNCTIONE.

**N**ōtum est, formas cōsecrandi oleum, magicas & execrandas esse: ideo nec unctiones illæ, in quibus usus est eius olei, tolerandæ sunt. Et uetustas hos ritus longè aliter exercuit, quam nunc exercentur. In ritu confirmationis, fiebat exploratio

doctri-

doctrinæ, in qua singuli recitabant sum-  
mam doctrinæ, & palam profitebantur se  
improbare furores Ethnicos & hæreti-  
cos, & uelle se esse & manere ueræ Eccle-  
sia membra, & non discessuros à uera sen-  
tentia, quam tunc profitebantur.

Hic mos erat utilis ad erudiendos ho-  
mines, & retinendos in uera agnitione  
Dei. Ac in Ecclesijs nostris similia fiunt  
in catechesi iuniorum, & in priuata con-  
fessione, in qua pastores doctrinam popu-  
li explorant.

Sed ritus confirmationis, quem nunc  
Episcopi retinent, quid est nisi inanis um-  
bra? Præterea Vncio, quæ nunc extre= Vncio.  
ma nominatur, fuit olim medicatio, ut ex  
Iacobi epistola perspicuum est. Nunc spec= Iacobi,  
taculum est plenum superstitionis. Di-  
cunt remitti peccata, per istas unctiones:  
& addunt inuocationem mortuorum,  
quam etiam necesse est improbari.

Ideo hi ritus non seruantur in nostris  
Ecclesijs, nec ante hæc tempora Ecclesia  
sensit esse necessarios. Cæterum pro ægro-  
tis fiunt publicè & priuatim piæ precatio-  
nes, sicut promisit Deus se etiam corpora

H 2      les

les ærumnas potentibus mitigaturum es-  
Psal. 49 se, iuxta illud: Inuoca me in die tribulatio-  
nis, & ego eripiam te.

Fiunt & funera honesta cōgregatione,  
& pījs commonefactionibus, & canticis.

DE TRADITIONIBVS, ID EST, RITI-  
BVS IN ECCLESIA INSTITU-  
TIS, AVTORITATE  
HVMANA.

**N**atura rationalis ordinem intelligit,  
& intellectus ordinis non obscurum  
testimonium est de Deo, nec uiuere homi-  
nes sine aliqua distinctione temporum, lo-  
corum, operarum, quietis possunt, sicuti  
in familijs uidemus oportere distincta es-  
se tempora laborum, quietis, cibi, somni,  
& optima quæcūq; natura, in tota uita maxi-  
mè est amans ordinis. Ac iubet Paulus  
omnia in Ecclesia fieri decore & ordine.

Fuit igitur semper, inde usq; ab initio  
generis humani, ordo aliquis publicorū  
congressuum: fuit aliqua temporum &  
aliorum quorundam rituum distinctio,  
haud dubiè plena grauitatis & elegantia,  
apud illa excellentia lumina generis hu-  
mani,